



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1652. usque ad annum 1662

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1779

VD18 90119185

§. 72. Decretum S. Facultatis Theologicæ super formula fidei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67372)

chiepiscopi, Episcopi, & octodecim Sæc. XVII.
 secundi Ordinis Deputati. A C. 1661.

§. LXXII.

*Decretum S. Facultatis Theologicæ
 super Formula fidei.*

Hoc igitur decreto ab omnibus approbato Præsules illud per Henricum de la Mothe Rhedonensem, & Harduinum Perefixium Rhutenensem Episcopum die secunda Maji ad Facultatem Theologicam Parisiensem transmissere, unacum Regis epistola, qua significatum, quod Rex ad Facultatem transmitteret fidei formulam a Clero Gallicano præscriptam pro stabilienda executione Constitutionum Innocentii X. & Alexandri VII. Perlecta igitur publice hac fidei formula, lectis item Regiis ad Facultatem literis, & audita Rhedonensis Episcopi eloquentissima oratione de ampliore Regiæ mentis declaratione, his denique omnibus expensis, & in maturam deliberationem adductis, omnium, qui centum triginta duo tunc aderant, Magistrorum concordibus omnino suffragiis declaravit sacra Facultas, prædictam fidei formulam, & formulæ subscriptionem sibi maxime probari, cum hæc formula non aliam fidei definitionem contineat, quam

Sæc. XVII. quam quæ Innocentii X. & Alexandri
A. C. 1661. VII. constitutionibus comprehensa est
 set, sitque ejusmodi subscriptio convenientissimus
 modus, & validissima ratio mandandi executioni Pontificis
 illas constitutiones ad obsistendum novæ doctrinæ ac
 sectæ, jamque dudum Facultas utramque Constitutionem
 receperit; hanc quidem Alexandri VII. die quarta
 Aprilis anno 1657. Illam vero Innocentii X. prima
 Augusti 1659. Insuper etiam die prima Septembris
 contra refractarios exclusionis a Facultate pœnam
 pronuntiavit, aliam vero prædictarum tam
 constitutionum quam formulæ doctrina tota sit ab
 antiquo mera, constansque Facultatis ipsius
 sententia, & subscriptionum alius jam pridem sit
 in Facultate receptus, & ab eadem etiam in simili
 occasione præceptus, ac novissime in damnatione
 secundæ Magistri Antonii Naldi epistolæ, ubi de
 hac ipsa, quæ nunc occurrit, materia agebatur.
 Quæ circa sacra Theologiæ Facultas unanimo
 Consensu decrevit, huic fidei formulæ subscribendum
 esse ab omnibus pari modo, & sub iisdem pœnis,
 quibus voluit censuram prædictæ Arnauldii
 epistolæ ab omnibus subsignari. videlicet, ut
 nemo posthac vel a Doctoribus ad comitia, & alia
 quævis

jura ad Facultatem pertinentia, vel Sæc. XVII.
A. C. 1661.
ex Licentiatis & Baccalaureis ad ul-
los actus Theologicos, sive ad dispu-
tandum, sive ad respondendum, vel e
Theologiæ Candidatis ad supplicandum,
ut ajunt, pro primo cursu, aut de Ten-
tativa respondendum admittatur, nisi
prius huic quoque fidei formulæ sub-
scripserit. Rogavit demum Theologica
Facultas præsentibus Illustrissimos Præ-
sules, ut unacum frequenti doctorum
numero, Facultatis nomine ipsi Chri-
stianissimo Regi gratias agerent pro ea,
quam erga se testari dignatus est, bene-
volentia, & de tanto orthodoxæ fidei,
atque avitæ Religionis tuendæ studio
gratulententur.

§. LXXIII.

*Oppositiones contra Cleri Gallicani
decretum.*

Vix præfatum Cleri Gallicani Decre-
tum fuerat promulgatum, cum il-
lico a Jansenii fautoribus quamplurimi
opponerentur libelli, ac primo quidem
typis vulgabatur hoc anno scriptum
quoddam sub hoc titulo: *Difficultates
generali Cleri Gallicani conventui propo-
sitæ super ejus deliberationes circa formu-
lare.* In hoc libello Auctor Præsules
carpebat, quod propositiones esse Jan-
senii,
Hist. Eccles. Tom. LXII. Rr

*Recueil des
Aff. du
Clergé t. I.
p. 2.*